



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Homiliae Catholicae De Sacris Arcanis Deiparæ Mariæ Et Iosephi

Cum quadruplici Indice

Cartagena, Juan de

Coloniae Agrippinae, 1613

Homilia Vigesima octava. Interpretamur vltima illa verba Mariani Cantici:
Sicut locutus est ad patres nostros, Abraha[m] & semini eius in sæcula:
vbi tria præcipuè oste[n]dimus, primum per sex mundi ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51414)

Ecl. 43.

Ecl. 50.

Luc. 1.

pulchritudinem contemplans nos ad eius auctorem laudandum inuitabat, vide arcum, & benedic enim qui fecit illum, valde speciosus, est in splendore suo, quid quanto diceret, si huius diuini Arcus in tam pulchra, ac perbella nube positi miram speciositatem, quæ tridis pulchritudinem infinita intercapedine superat, oculis suis conspiceret, & si Salomon etiam Simonem Oniæ filium magnum Sacerdotem commendans inter alias eius laudes dixit: Quasi arcus resurgens inter nebulae glorie, quibus quæso laudibus extolleret æterni patris filium summum Sacerdotem in æternum, secundum ordinem Melchisedech; cum ille qui est splendor patris, omnem creaturam splendorem præcellat; cælestis enim arcus, propter solares radios nubi immixtos, effulget, hic autem non ab extrinseco opus habuit suam emendicare claritatem, cum per essentiam ipse sit lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum? Ad extremum arbitror B. Virginem consulto dixisse: recordus misericordie suæ, vt significaret Verbi diuini Incarnationem, cuius laudes decantabat, non ex humanis meritis, quæ nulla ad tam immeasum bonum promerendum valere poterant, sed ex mera Dei gratia, misericordia, ac munificentia profuissse: non enim Abrahæ fides, non Moysis mansuetudo, non Iob patientia, non planctus Ieremie, non suspiria, & clamores Prophetarum, non denique heroica Patriarcharum opera Verbum diuinum humanæ carnis mortalitate indui meruerunt; sed tantum ac tam sublime opus sola Dei misericordia promissit, & B. Virgine cooperante in eius utero perfecit, cui sit honor, & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXVIII.

Interpretamur vltima illa verba Mariani Cantici: Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham, & semini eius in sacula: vbi tria præcipue ostendimus, primum per sex mundi ætates Deum locutum fuisse de Verbi diuini incarnatione; secundum, Deum in suis promissionibus fidelem, mundum vero infidelem, & mendacem esse, tertium, verum semen Abraham non Iudeos, sed Catholicos esse.



I ad promissionem de Verbi diuini Incarnatione mentis aciem conuertamus, planè inueniemus non solum Abraham, sed multis retro temporibus ante illum antiquioribus patribus Deum filij sui Incarnationem pollicitum fuisse. Promissit illam Adamo, & Eue, cum vindictam sumpturum de serpente affirmavit, cuius caput conterendum erat per semen, seu filium Virginis: Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius, ipsa, seu ipsum (vt habet originale Hebræum) conteret caput tuum. Eandem promissit Verbi diuini Incarnationem Abeli in sacrificio, quod idem obtulit de primogenitis gregis sui, quod figuram gessit cruenti illius sacrificij, quod primogenitus Dei filius in ara crucis oblaturus erat. Promissit eandem Noè, cum cælestem arcum in nubibus posuit in signum pacis, & fedoris; illè enim pulcher arcus, absque nubis læsione in ea productus, speciosum forma præ filiis hominum in Mariani vteri nube, absque vlla virginitatis suæ iactura producendum fore prænotabat.

Gen. 22.
Gen. 17.
Gen. 49.
Exodi 3.
2. Reg. 7.
2. Par. 6.
Ier. 7. & 9.
Ierem. 31.
Dan. 7.

Luc. 1.

Hebr. 1.

Theoph. in
ep. ad Heb.
ca. 1.

Gen. 1.

D. Hier. su-
per ad Eph. 5.

Post hos autem Patres eandem promissit
Abrahæ: *Et benedicentur in semine tuo om-
nes gentes terre*; eandem Isaac in be-
nedictione filiorum suorum, iacobo in
benedictione iudæ, Moysi apprensus in
tubo ardenti, qui non comburebatur,
Dauidi in confirmatione, & stabilimen-
to regni sui in æternum, Salomoni in
exauditione precum illius in templo
sancto suo, Isaac in fecundatione, & par-
tu Virginis, Ieremæ in renouatione le-
gis, & inscriptione illius in corde humano,
Danieli in liberatione populi post septua-
ginta hebdomadas, multis tandem Pro-
phetis, Zacharia dicente: *Sicut locutus est
per os sanctorum, qui à seculo sunt, propheta-
rum eius.*

Sex commemorant sancti Patres mun-
di ætates à creatione mundi, vsque ad
aduentum Christi Domini, in quibus
omnibus (si rem attente perpendamus)
facile reperiemus, Deum optimum ma-
ximum de futura Verbi diuini Incarna-
tione, *multifariam, multisq; modis* (vt Pauli
verbis vtar) antiquis Patribus locutum
fuisse: multifariam (inquam) quia variis,
& multiplicibus figuris, vt exponit Theo-
philactus, hoc est, per Tropos, per Aenig-
mata, per signa, per externas appatio-
nes, per internas inspirationes; necnon
per vocalium, verborum Angelico mi-
nisterio factam expressionem. Et quidem
primo parenti in prima illa mundi ætate
promissum fuisse Incarnationis myste-
rium, præter ea, quæ nuper dicebam, duo
præcipue, aperte suadent: Primum est,
quia cum vidisset Adam ex costa eius
formatâ fuisse Eum, continuo in illa
verba profiliit: *Hoc nunc os ex osibus meis,
& caro de carne mea*: quibus diuinitus in-
spiratus Incarnationis arcanum vaticina-
tus est, vt D. Hieron. his verbis expresse
docuit: *Primus homo, & primus Vates hic
de Christo, & Ecclesia prophetauit*. Secundu-
m est, quod in innocenti Abelis ab inuido fra-
tre Cain, quæ Christi mortem à fratribus
suis, hoc est, ab Hebræis per inuidiam sibi
inferendam, non obscure præfigurabat,

maxime quod (vt Hebræi narrant) ferre
& ligno fuit occisus Abel, quod & modum
mortis Christi aperte delineauit: cum il-
lam sustinuerit in lignæ cruce ferreis
clauis in ea confixus. Adduat etiam alij,
cum Ang. Celestino, & Chryf. Lufit. de-
lineatum fuisse primo parenti mysterium
Incarnationis in tunicis illis pelliceis,
quibus ipse & Eva induiti fuerunt: quia sic
ut illi propter peccatum mortuorum a-
nimalium pellibus induti sunt; ita secun-
dus Adam, alioquin *Sanctus, innocens, im-
pollutus, segregatus à peccatoribus, & excel-
sior celis factus*, propter eorum præuari-
cationem pellicea mortalis carnis tuni-
ca induendus erat. Fecit etiam Deus in
illa prima ætate aliam huius diuini ar-
cani manifestationem sancto Patriarchæ
Henoch, quod ipse si miter credens me-
ruit transferri in terrestrem Paradisum,
vt affirmat S. Aug. sed & eruditus auctor
Salmeron docet propalatum fuisse idem
mysterium, quia ille cepit (vt sacra Ge-
nesis narrat historia) cultum Dei instau-
rare, & nomen Domini invocare, quod est
Verbum incarnatum, vt docet Episcopus
Christopolitanus.

In secunda ætate hoc idem arcanum
releuauit Deus Noë, nam præter arcum ex
tribus coloribus constantem, qui Christi
ex tribus substantiis compactum, diuini-
tate, anima, & corpore in vnitatem eiusdẽ
personæ præfigurabat, per ligneam Arcam
ab inundatione diluuij innumera anima-
lia liberantem, ligneam Christi crucem,
per quam prædestinati ab inundatione
diuinæ iræ infallibiliter liberantur, non
obscure et aperuit. In tertia ætate manife-
stauit hoc mysterium Abrahamo, cum
filium suum primogenitum immolari sibi
præcepit, in typum Christi in Caluarie mō-
te in ara crucis immolandi. manifestauit
etiam Isaac, quando ipse morti proximus
adductum sibi filium mortui animalis
pelle coopertum tangens dixit: *Ecce odor
filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit
Dominus: tunc enim præuidit Dei filium
carnem sumptuū fore ex semine iacob,*
simul.

mulq; præfenti fragrantiam miram me-
ritorum humanitatis Christi Domini.
Manifestavit deinde illud in eadē ter-
tate iacob, scalā videnti, quæ vna extre-
mitate terræ hærebat, & altera cælum tã-
gebat, & per quam Angeli ascende-
bant, & descende-
bant; illa enim Christum ad-
umbrabat, qui velut mystica scala, altera
humanitatis extremitate terram calcavit,
altera diuinitatis cælum tetigit, & super
Cherubim volauit, p̄riterque per ipsum
tamquam per scalam homines ad cælum
conscendunt, & Angeli ad eos in cale-
stem patriam duccndos descendunt. Ag-
nouit item iacob mysterium Incarnatio-
nis in lucta illa, quam habuit cum An-
gelo, præualeas aduersus illum, in qua
ipse Angelus voluit vinci, alioquin nul-
la ratione vincendus: id enim præfig-
nificabat futurum esse, vt Hebræi aduersus
Christum, non tamen ipso inuito,
sed volente, in eius passione illum occi-
dentes, in conspectu hominum præuale-
rent. Multo tamen clarius idem præuidit
mysterium Iob, quando diuino spiritu af-
flatus verba illa sacramentis plena pro-
tulit: *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux
de femore eius, donec veniat, qui mittendus
est, & ipse erit expectatio gentium; quibus
verbis apertè ostendit Iudæorum regnū
non fore deuastandum, donec filius Dei
carne sumptus, à Patre in mundum
mitteretur. Rursus in quarta ætate præ-
terquam omnia in figura contingebant illi,
variaque sacrificia, & ritus, & capti emi-
sarii, & agni Paschalis, & aliorum simi-
lium Christum adumbrabant, specialiter
sacramentum hoc reuelauit Moyse; nam
cum ei Dominus dixit: *posteriora mea vi-
debis*: quasi diceret, terga humanitatis
meæ agnosces, faciem tamen diuinitatis
meæ, quam aspiciere cupis, nunc non vi-
debis, vt S. Gregorius explicat. Sed adhuc
luculenter magis id ipsum ei manifesta-
uit dicens: *Prophetam suscitabo eis de me-
dio fratrum tuorum similem tui*: hoc est,
de femine Dauid, vt exponit glossa inter-
linearis, vnde ipse Moyses de Christo ad*

populum loquens dixit: *Prophetam de
genie tua, & fratribus tuis, sicut me suscitabit linearis su-
tibi Dominus Deus tuus ipsum audies*: ad per e. 18 de
quæ verba alludens (ni fallor) Christus Deuteron.
Dominus Hebræis dixit: *Si enim credere-
tis Moyse, scilicet de me volis loquenti,
credetis fortassis & mihi; de me enim ille Ioan. 5.
scripsit*: in quinta deinde mundi gratæ pol-
licitus fuit Dominus Dauid vnigenitum
filium suum sibi coæternum ex regali e-
ius familia in tempore oriundum: *Cum 1. Par. 13.
dormieris cum patribus tuis suscitabo semen
tuum post te, quod erit de filiis tuis, & stabi-
liam regnum eius: ipse edificabit domum, &
firmabo solium eius vsque in æternum. Ego
ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium,
imò singularia mysteria Conceptionis,
Natiuitatis, Circumcisionis, Adoratio-
nis Magorum, Baptismi, prædicationis,
mortis, sepulture, & resurrectionis, & Ascen-
sionis diuinitis ei fuere reuelata, vt ex to-
ta ferie Psalmorū liquido constat. In ea-
dem etiã ætate manifestauit Deus non
paucis Prophetis Incarnationis mysteriū,
vt ipsi testantur: *Isa: Puerulus natus est Isa. 9.
nobis, & filius datus est nobis*: *Ierem: No-
uū creauit Dominus super terrā, mulier circū-
dabit virum*: *Daniel: Deleatur iniquitas, &
inducatur iustitia sempiterna, & impleatur
vstro & prophetia, & vagatur sanctus. Ag-
gæo: Laudo, & letare filia Sion, quia ecce
ego venio, & habitabo in medio tui*: *Zacha-
ria: Ecce ego mitto Angelum meū, & præpa-
rabit viam ante faciem meā, & statim veniet
ad templum sanctum suum Dominator, quem
vos queritis* Id tandem ipsum multis aliis
prophetis reuelatum est Amos dicente: *Non faciet
Dominus verbum, nisi reuelat se-
cretum suū ad seruos suos Prophetas*. Ad ex-
tremum in sexta, & vltima ætate Deus,
qui fidelissimus est in suis promissioni-
bus, quotquot Patriarchis, Regibus, &
Prophetis pollicitus fuerat, plenissimè
impleuit mitteos filium suum, vt in Mariæ
vtero carnem assumeret. Ecce quàm ve-
raciter B. Virgo dixerit: *Suscepit Israel pue-
rum suum, sicut locutus est ad patres nostros,
Abraham, & semini eius in secula*.*

Ante-

Antequam tamen ulterius progrediar, non possum silentio prætereire; cur Deus, cum filium suum in mundum ab eo mittendum amicis suis pollicebatur, promissionem suam iuramento confirmabat ut: *Per memetipsum iuravi, dicit Gen. 22. Dominus, quia fecisti hanc rem, & non peperisti filio tuo unigenito propter me: benedicam tibi: David etiam inquit: Turavit Dominus David veritatem, & non frustrabitur eum: & Zacharias: Iusturandum, quod iuravit ad Abraham patrem nostrum daturum se nobis: Huic interrogationi exacte respondet verba D. Pauli dicentis: Abrahæ namque promittens Deus, quoniam neminem habuit, per quem iuraret, maiorem, iuravit per semetipsum dicens: nisi benedicens benedicam te, & multiplicans multiplicabo te: Et sic longanimitè ferens adeptus est repromissionem. Homines enim per maiorem sui iurant: & omnes controuersie eorum finis: ad confirmationem est iuramentum. In quo abundantius volens Deus ostendere pollicitationis hereditatem immobilitatem consilij sui, interposuit iusturandum, ut per diuis res, & immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quem sicut anchoram habemus animæ iuram, ac firmam, & incedentem usque ad interiora velaminis, ubi præcursor pro nobis introiit Iesus, secundum ordinem Melchisedech Pontifex factus in æternum. hæcenus Apostolus, in quibus verbis Tres rationes propositi quæsti indicat Paulus: Prima est, apud homines omnium controuersiarum finem fieri confirmatione iurandi, quia erga homines hunc morem habebant, ut controuersias iureiurando penitus finirent, ad eum morem se Deus accommodare volens, suas promissiones iureiurando confirmauit, ut nihil eorum desideraretur, quod apud homines certitudinem, ac firmitatem dicitis promissis addere solet. Secunda, Deus adhibet iuramentum propter humanam incredulitatem, quo eos implendæ promissionis securiores reddat. Vnde Hieronymus dixit:*

Iurat Dominus, cui etiam non iuranti credendum est, quod sua estimatio non fallatur, & quod mente concepit, irritum non fiat. Hæc autem humano loquitur affectu, quod scilicet non fallatur, qui falli non potest. Et etiam, & significet immobilem promissionem, & infallibilem euentum eius rei, quam iureiurando futuram dixit. Vnde Damascenus de Orthodoxa fide scribit: Turamentum significat constantiam, & immutabilitatem consilij eius: & quod apud nos contra deum sunt, qui inimicem sunt, per iuramentum certum sunt, firmitatemque habent. Quoniam ergo duo sunt quæ dicitis fidem & robur afferunt, nempe promissio, & iusturandum, atque illa promittentem obnoxium faciant suæ promissioni explendæ: hæc autem maiorem etiam necessitatem imponant efficiendi id, quod iuratur, solet Deus ad firmendam fidem, & spem in animis hominum vtraque re vti, promissione scilicet, & iuramento, ut omnino impossibile esse intelligatur, Deum mentiri, vel fallere, aut eius promissionem frustrari posse. Quod si indecens, vel superuacaneum esse dicas, Deum dicta, & promissa sua iuramento firmare, cum nuda, & simplex Dei affirmatio, vel negatio tantam habet firmitatem, quantum eadem habere potest. Negue etiam additis iuramentis, & Deum iurare, videtur quidquam minuere de eius auctoritate, & maiestate; audias quid respondeat Thomas Anglus in cap. 22. Genes. breuissime, & doctissime huic obiectioni satisfaciens. Exterior iuratio Dei multum valet respectu nostri ad ampliorem confirmationem nostræ fidei, & spei. Quia secundum Apostolum, per hoc Deus abundantius ostendit propositi, & promissionis suæ immutabilitatem. Quare licet iurare, nihil secundum rem addat ad simplex Dei verbum, multum tamen addit secundum rationem, & secundum existimationem hominum. Quemadmodum, & si Dei voluntas secundum se æqualis semper sit, & vniformis, respectu tamen obiectorum suorum quodammodo se habet secundum magis, & minus. Vnde dicitur, Deus plus dilige

gere spiritum quam creaturas, & plus matrem suam quam aliam quempiam sanctorum; & plus vult se diligere a vobis quam proximum. Similiter igitur de iuramento Dei potest dici: nam quia maius malum est per iurium, quam simplex mendacium; ideo secundum hanc rationem dicitur, impossibile esse ipsum Deum perierare, quam mentiri; quamvis secundum se, & absolute utramque sit ei aque impossibile. Non est igitur indecens, Deum irare per semetipsum; tunc quia non iurat, quo firmitus, & creditus sit dictum suam ex parte ipsius, & respectu nostri, quo scilicet debilitas fidei nostra a robore firmitatisque vehementius: tunc quia non iurat per aliquem maiorem se, aut per alium a se.

Verum ut hac magis confirmetur, audiamus (si placeat) pulchram, quam Philo instituit disputationem, an Deo conveniens sit irare? quam disertè tractat eo libro, quem inscripsit de sacrificio Abel, & Cain: sic autem ait: Cum scriptura Deum irasse narret, inspicendum est, an id vere Deo conveniens, & conducens esse putandum sit. Quoniam id videtur plurimum esse Deo alienum, atque indecorum: insurandum enim intelligitur testimonium de re ambigua de Deo autem nihil est incertum, aut dubium; qui etiam alios in cognitionem veritatis videtur adducere. Ipsi certe nullo modo opus est, nec est aliis Deum ei honore par. Testis prætere a, ut dicitur testimonium, maior est eo, cui testimonium perhibet. Alter enim opus indiget, alter opem ferit: Sed quod opem ferit, fide dignius est eo, quod illa indiget; Deo autem nihil præstantius, nihil de fide dignius. Et homines quidem, ut fides eis habeatur, ad insurandum consurgunt; Deo vel simpliciter loquenti fidem non habere impium est. Quilibet enim Dei verba, quantum ad certitudinem, iuramento differunt. Itaque sit, ut sententia nostra ex iure iurando fides accedat, ipsi autem iuramento ex ipsa Deo fides astruatur. Non enim propter iuramentum creditur Deo, sed iuramento creditur, quia Dei auctoritate firmatur. Cum igitur Scriptura iuramentum inducit Deum, nimirum, ut infirmitatem naturæ nostræ corroboraret, & consilium consolaretur. Non

enim potest anima nostra semper habere præcipiam illam de Deo sententiam: Non esse enim homini similem, ut transcendamus, quid quid prædicant de homine, sed quia maxima ex parte affinet sumus verum mortaliū, nec sine harum admixtione cogitare quidquam possumus, sed inquirere in mortalibus, tanquam cochleæ, eisque in morem earum involuti, easdem de illa beata, immortaliq; natura, quas de nobis notiones habemus, verbis quidem negantes eum humana forma, & affectu esse, re autem ipsa humanos affectus, & mores ei tribuentes. Nam, & manus ei affigimus, & pedes, & surgere, & stare, & ambulare, & odium, & iram, & penitentiam affectus profecto nihil ad auctorem illum summum pertinentes, in quibus & iusturandum est, quo nostra subleuatur infirmitas. His adde, multa Deus prædixisse futura, quæ quia tacitam conditionem importabant, hæc non subsistere, illa non fuerunt impleta, ut contingit regi Ezechie, cui in infirmitate sua Dominus per prophetam dixit, morieris; & tandem incolumis evasit: imo & cum augmento quindecim annorum ad vitam suam, illa enim Dei sententia: morieris, continebat involutam conditionem, nisi ille Dominum deprecaretur, deprecatus tamen fuit, & ideo mortem non obiit. Promisit etiam Deus per Ionam Prophetam post quadringenta dies Ninivitarum urbem esse subvertendam, quæ tamē subverta non est, quia erat sub conditione, si non poenitissent, quia tamen ad prædicationem, & penitentiam egerunt, subversionis effectus secutus non est. Unde recte Abulen. in c. 23. Num. q. 8. dixit: Comminatio absolute facta resolvitur in conditionem. Similiter Deus promisit populo Israel terram promissionis, quæ tamen nemo ingressus est nisi Caleb, & Iosue; quia illa promissio fuit conditionata, nempe si filij Israel in fide Dei sui perseverarent, divinis promissionibus credentes, unde Apostolus dixit: Non profuit illis sermo auditus, non admixtus fidei: hoc est sermo, quæ audierunt per Moysen de requie terræ Palestinæ, non profuit illis, quia non fuit

Y y y con.

Philo lib. de
sacrif. Abel,
& Cain.

Isa. 38.

Ionæ 3.

Abulen.

ad Heb. 4.

coniunctus fidei, ac tandem Christo Domino dicente ad discipulos suos, inter quos aderat Iudas: *In regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis sue, sedebitis & vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel*: & tamen constat Iudam non sessurum, quia promissio fuit sub conditione perseverantiae in bono, quam quia Iudas non implebit, sedem promissam non consequetur. Quando tamen Deus promissioni suae addit iuramentum, id certe facit ad significandum illam non esse conditionatam, sed simpliciter absolutam, ac infallibiliter implendam. Unde Concilium Toletanum dixit, Deum quandoque iurare ad significandum, quod quae ab ipso ordinata sunt, nullatenus retractantur. Atque hinc ansam fumamus oportet, ad ostendendum divinarum promissionum certitudinem, & immutabilitatem, humanarum vero contra inconstantiam, & volubilitatem. *Dauid quidem dixit: Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis: & eius filius inquit: Domine Deus Israel non est similis tui, Deus in caelo, & in terra, qui custodit pactum, & misericordiam cum servis tuis, qui ambulat coram te in toto corde suo, qui praestitit seruo tuo Dauid patri meo quaecumque locutus fuero ei, & quae ore promiseras, opere complisti.* Nō solum ergo Deus implevit, quod promiserat Dauidi: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam, mittens filium tuum, ut ex genere eius carnem assumeret; sed & voluit, ut illo iam carne induto ad vagum & perfectissime omnia, quae de Deo praedicta erant, de illo implerentur: hinc B. Virgine Christum concipiente, impletum est illud Isaia vaticinium: Ecce Virgo concipiet, & pariet: nascente illo in Bethlehem, impletum est illud Michae: & tu Bethlehem terra Iudae, nequaquam minima es in principibus Iudae: ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Israel.* Christo in praesepio posito inter bouem, & asinum impletum est illud; *Cognovit bos possessorem suum, & asinus praesepe Domini sui, ut annotarunt D. Chryl. B. Cy-*

ril. necnon & Orig. quando nomen Iesus de mat. Dom. suscepit in circumcissione, impletum est illud: D. Cyril. Iud. vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nuntiavit. quando fuit in templo S. Prop. praesentatus, impletum est illud Malachiae: benedictus Dominus venit ad tempus: impletum est illud domini. nator, quae vos queritis: ut annotavit Theo. Orig. hom. docet. super Isaia: quando propter Herodiam persequendum in Aegyptum Isa. 62. iuit, impletum est illud Isaiae: Ingressus est Aegyptum, quando autem immanis facta est infantium occisio, impletum est illud Ieremiae: Vox in Rama audit a est ploratus, Ier. 31. & ululatus mulierum. quando rediit ex Aegypto, illud Osee impletum est: Ex Aegypto vocavi filium meum; quando in baptismo Iordanis aperti sunt caeli, & super caput eius sedit Spiritus sanctus sub specie columbae, impletum est illud: Revelatus est gloria Domini, & videbit omnis caro salutem Dei, & observavit Iustinus Martyr Dialogo contra Triphonem, quando in deserto tentatus fuit a Diabolo, impletum est illud Zachariae: Ostendit mihi Dominus Jesum Sacerdotem magnum, & Satan stabat a dextris eius, ut adhaeretur ei, ut annotavit Origenes iuxta allegoricum sensum, nec non & D. Ambrosius libro de Fide. Quando Christus Dominus turbas docebat, impletum fuit illud, non faciet novum tibi videntes praeseptorem tuum; quando ab humanis corporibus daemonia expellebat, impletum fuit illud: In illa die visitabit Dominus in gladio suo duro, & grandis, & fortis super Leviathan serpentem veterem, ut aduertit Tertullianus: quando miracula patrabat, impletum fuit illud: Aperientur oculi caecorum, & aures surdorum patebunt: tunc saliet sicut cervus claudus, & porta erit lingua mutorum: ut sanctus Hieronymus annotavit: quando in Templo illud prophantes expulit, impletum fuit illud Davidis: Zelus Domus tua comedit me: illum laudabant, impletum fuit illud regis vatis: Ex ore infantium Deus, & lactentium perfecisti laudem: quando tunc Hebraei

Conc. Tollet. id referente Celesti super Missus discursu 42.

Psal. 144.

3. Par. 6.

Psal. 137.

Isa 7.

Michae 5.

Isa. 1.

D. Chryl. ser.

- brai varijs conuitijs, & detractionibus illum lacerantes consiliium inierunt ad illum occidendum, impletum fuit illud: *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terrae, & principes conuenerunt in unum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius*: quando discipulos suos ad Eucharistiam mensam inuitauit, impletum fuit illud: *Et faciet Dominus conuiuium in monte hoc, ut obseruauit Aymon super Isaiam*. quando triginta argenteorum pretio sacrilego ausu venditus fuit, impletum nouimus illud Zachariae: *Appendunt mercedem meam triginta argenteis*, ut exponit Ruffinus super Symbolum: quando à familiari, & domestico discipulo, & per prodicionem in manus inimicorum fuit traditus, impletum est illud Psalms: *Qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem*, ut tradit Chrysost. quando discipuli fugientes appropinquante morte illum deseruerunt, impletum fuit illud, quod in eius persona prädixerat Iob: *Frater meus longe fecit à me, & noti mei, quasi alieni recesserunt à me*, ut exponit D. Gregor. in suis Moral. quando varijs opprobrijs fuit impetitus, impletum fuit illud: *Propter te sustinui opprobrium tota die, operuit confusio faciem meam*, ut interpretatur Origenes super Matthaeum. quando alapis percussus, & flagellis caesus, impletum fuit illud Isaiæ: *Corpus meum dedi percussentibus, & genas meas uellentibus*, quando Pilatus dixit: *Ecce homo*: & Iudæi clamabant: *Tolle, tolle*, impletum fuit illud: *Expellauit, ut faceret iudicium, & ecce iniquitas, & iniustitia, & ecce clamor*, ut explicat Tertullianus aduersus Iudæos. quando ligneam crucem humeris suis baiulabat, impletum est illud: *Et factus est principatus super humerum eius*, ut docet Iustinus in suo Apologetico; quando ligno Crucis affixus, impletum fuit iuxta expositionem Hieronymi ad Augustinū illud Ieremias: *Venite, mittamus lignum in passum eius*: quando acutissimis clauis manus & pedes eius fuerunt confossi,
- impletum est illud Psalms: *Foderunt manus meas, & pedes meos*: quando sibi undus aceto fuit potatus, impletum creditur illud Dauidis: *Dederunt in escam meam sel, & in fuis mea potauerunt me aceto*. quando in latere percussus fuit lancea à Longino, impletum est iuxta Hieronym. *Hiero. in num, illud Isaiæ: scidit petram, & fluxerunt aquae*: quando sol obscuratus est in nece Domini, impletum est (ut ait Tertullianus) illud Amos Prophetae: *Occidet Amos sole in meridie, & tenebescere faciam terram in die luminis*. quando sepulturae mandatus, & in sepulchro nouo positus, impletum fuit (ut ait Iustinus Martyr) illud I. ca. 61. Isaiæ: *erit sepulchrum eius gloriosum* quādo descendit ad inferos, & carceres expoliavit, & tartareas regiones contriuit, impletum fuit illud: *Gloriosus terra humi*. *liabo, portas aereas conteram, ueltes ferreos confringam*, ut Hylarius interpretatur; quādo victor de morte surrexit ad immortalē vitam, impletum fuit teste Cypriano illud Dauidicum: *Exurge gloria mea, exurge Psalterium, & cithara, exurgam diluculo*. quando triumphans super caelos ascendit, ecce impletum illud Psalms: *Ascendit Deus in tubilatione, & Dominus in uoce Christus est sub: sedente in caelo ad dexteram Patris, Deus*. impletum fuit quod cecinerat Dauid: *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis*, ut Rabanus explicat in comment. huius loci. quando in caelo regnans, inde Spiritum sanctum misit super discipulos, & ad prophetandū, & ad euangelizandum diuina illustratione meates eorum instruit, & linguas disertissimas reddidit, aperte satis impletum fuit illud Iaelis: *Effundam de spiritu meo super omnem carnem*. prophetae abunt filij uesiri, iuxta expositionē D. Petri. Quando deinde diuino spiritu afflate, Apostoli in varias mundi regiones diuina euangelicā Christi doctrinam disseminarunt, impletum fuit illud Dauidis: *In omnem terram exiit sonus eorum*, & in fines orbis terra uerba eorum: ut Doctor gentium explicuit ad Romanos scribens: ac tandem si omnia, quae Deus promisit, ac

fidelissime implevit, recensenda mihi forent, oporteret ut in infinitum abiret oratio. Quod si aliquando videatur Deus aliquid pollicitus fuisse, & non implevisse, ut in Rege Ezechia, Niniuitis, & aliis paulo ante commemoratis, dicendum est primo ex doctrina Angelici Doctoris S. Thomæ quod Deus aliquando pronuntiat aliquid futurum, secundum quod continetur in ordine causarum inferiorum, ut puta, secundum dispositionem naturæ, vel meritum, quod tamen ipsa non fit, quia aliter est in causa superiori diuina: quomodo prædicta fuit Ezechia ægrotanti mors, & peccantibus Niniuitis subuersio, quod tamen non ita euenit, quia ab æterno aliter fuit in scientia, & voluntate diuina, quæ immutabilis est. Et propter hoc dicit Gregor. lib. 20. Moral. cap. 23, quem referunt D. Tho. & glo. ordin. quod *Deus immutat sententiam, non tamen immutat consilium*: quæ verba exponens ibidem Glosa ordinaria: *per sententiam* (inquit) *debemus intelligere sensum verborum: consilium vero ab æterna dispositione est*. Secundò dicendum, quod in libro præscientiæ diuinæ non omnia, quæ in eo scripta sunt, propheta legentes percipiunt, sed quædam tantum iuxta diuinum beneplacitum; atque inde est, quod Iſaias in illo libro legerat, Ezechia iuxta eius opera non fore ultra protegendam vitam, non tamè legit ibidem lacrymas, & instantes preces, quibus longiorem vitam erat impetraturus. Similiter etiam Ionas in eodem diuinæ præscientiæ libro legerat ob Niniuitarum scelera quadragesimo die fore complendam, & iuxta illorum merita ciuitatem penitus deuaſtandam, non autem legerat futurum esse, ut per eius prædicationem in cinere & cilicio poenitentiam essent acturi, & misericordiam consecuturi. Vterque igitur, quod legerat, prædicauit; sed quia Deus aliud disposuerat, quod ipsos tunc latebat, ideo quædam prædixerunt, quæ tamen postea non fuerunt executioni mandata, sed vice illorum alia excellen-

tiora Deus impleuit, misericordiam suæ thesauris ostentans.

Tam igitur Deus fidelis est in suis adimplendis promissis, ut frequentissime maiora dona cõferat, quàm promiserat. Promisit quidem tempore Moysis, & Aaron virgam eius, qui in sacerdotem esset eligendus, flores esse germinaturam, postea verò non solum germinauit flores, sed & fructus produxit: *Turgentibus Naui, gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis, in amygdalas deformati sunt*: pollicitus fuerat Deus iusto illi Simeoni non prius è vita discessurum, quàm oculis suis Verbum diuinum humana carne indutum conspiceret: *Responsum acceperat Simeon à Spiritu sancto non visurum se mortem, nisi videret Christum Domini*: postea tamen non solum datum est ei, ut videret, sed, ut vltis suis susciperet, & propriis manibus contrectaret. Ecce maiora Deus implet, quàm promiserat, cuius tamen contrarium semper factitat fallax mundus, qui cum magna tibi pollicetur, paucissima tamen, eaq; curè, diminitè, & auarè nimis implet: in cuius figuram legimus, quod Laban promiserat Iacob pulchram filiam Rachel in uxorem, si septem integros annos ei inseruisset, sed inito pacto, & transacto septennio, vice pulcherrimæ Rachelis sibi promissæ tradidit ei filiam suam Liam, quæ lippis erat oculis, non secus certè fraudulentus hic mundus per Laban, qui dealbatio interpretatur, meritò significatus, quia mundus velut sepulchrum dealbatum est, quod foris splendet & intus foetet, hic inquam promittit pulchram Rachelem, quæ *ovis* interpretatur, quæ symbolum est abundantia, quia lacte suo nutrit, carne pascit, lana corpus induit, & pelle pedes calceat: bonorum igitur copiam promittens inopiam donat, ac vice pulchræ Rachelis lippientem Liam, quæ *laborem, & defaustionem* significat, nobis tradit: non sic, non sic nosse Deus (inquit Maria) sed quod olim promisit in plenitudine temporis adamussim compleuit: *Sicut locum Luc. 1. est*

D. Thom. p.
 q. 19. ar. 3.
 2. 2. q. 171.

D. Greg.
 D. Tho. p. p.
 q. 19. ar. 7.
 Glo. ordin.
 super c. 38.
 174.

Gen. 22.

Ad Gal. 3.

Luce 19.

Luce 13.

166. 3.

Psal. 17.

est ad patres nostros, Abraham, & semini eius
 in secula: semini (inquam) non solum car-
 nali, sed spiritali, verumque enim Deus
 comprehendit, cum Abrahæ dixit: Multi-
 plicabo seminum sicut stellas cæli, & sicut a-
 renâ, quæ est in litore maris: semen quidè
 carnale, hoc est, Iudæis accipit per arenam,
 semen verò spirituale, hoc est, fideles in-
 teligit per stellas cæli fidei lumine splen-
 dentes. Nos igitur Catholici Ecclesiæ Ro-
 manæ legitimi alumni, verum semen, &
 veri filij Abrahæ sumus per Christum, qui
 de semine Abrahæ carnem assumpsit, va-
 de Apostolus dixit: Si autem & vos Chris-
 sti, ergo semen Abrahæ estis, secundum pro-
 missionem hæretis, & alibi, qui ex fide sunt,
 hi sunt filij Abrahæ: sic enim Zaccharum
 Christus Dominus filium Abrahæ nomi-
 nauit, & mulierem illam fidelem, quæ
 per decem annos incurata, tandem cu-
 rata fuerat, filiam Abrahæ nuncupauit;
 per hunc autem Iudæi, quibus Christus Do-
 minus dicebat, cum sese filios Abrahæ
 iactabant: Si filij Abrahæ estis, opera Ab-
 rahæ facite, ab Abrahæ fide degenerarunt; &
 ideo ab eius filiatione longè absunt, ipso
 Deo de illis dicente: Filij alieni mentis
 sunt mihi, filij alieni inueterati sunt, & clan-

dicauerunt à semine tuo: quibus verbis vi-
 detur David allusionem facere ad claudi-
 cationem Iacob Iudæorum claudicatio-
 nem adumbrantem; sicut enim Iacob pe-
 dem unum claudum habebat, alium re-
 ctum, & sanum, ita duo sunt filij Abrahæ,
 Iudæi quidem claudicantes, Christiani
 verò secundum fidem sani, & recti.

Ad extremum aduertendum est (vt
 proposita verba magis enucleata mane-
 ant) quod cum beata Virgo addidit in
 secula: bifariam contextus potest ordina-
 ri; primò, cum vltimis verbis superioris
 versiculi; nempe recordatus misericordie
 sue: ita vt hunc sensum reddant: Deus re-
 cordatus misericordie suæ in secula, hoc
 est, in æternum, quia dictum est, quoniam
 in æternum misericordia eius: secundò, po-
 test ordinari cum verbis huius vltimi ver-
 siculi: nempe, sicut loquutus est, & tunc
 idè valet, quod per secula, hoc est, per sin-
 gulas grates successiue: ac si diceret: nun-
 quam cessat omnibus benefacere Pa-
 ter misericordiarum, cui sit ho-
 nor, & gloria in secula
 sæculorum: A-
 men.

Luce 1.

Psal. 135.

Finis Libri Sexti.

Yyyy 3 DE EX.